



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni

Pedro <de los Angeles>

Coloniæ Agrippinæ, 1681

Dispytatio I. De quidditate, seu natura Privilegiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)



SPECVLVM PRIVILEGIORVM REGVLARIUM IN COMMVN!

DISPVATIO PRIMA!

De quidditate, seu natura privilegiorum.

DE privilegijs Ecclesiasticis latè olim, præcipuè differēbant Canonistæ: Sed jam ævo nostro tam Theologi, quam Summistæ non renuunt eos æmulari: quorum aliqui solum de eis agunt in communi; caliginem ex variatione, & instabilitate particularium ortam fugientes. Alii verò in obsequium confessoriorum ad particularia descendunt. Omnes laudo, & veneror; sed primis adhæreo, propter eorum rationem, & quia radicatus agnitis ipsorum fundamentis: Cuilibet etiam mediocriter docto plana erit via, ut in casibus occurrentibus, sing. offensione, ad particularia descendat.

SECTIO I.

Quid, & quæplex sit privilegium; quo ejus proprietates

I. i. **P**rivilegium nihil aliud est, quam *lex privata, aliquod speciale benefi-* *cium concedens. Dicitur privata, non quia* *multos læpōnon: officias; cum hoc sit de* *tatio-*



ratione legis, sed quia non omnes universali-
ter, sed privatim genus personarum tangit. Dicitur *lex*, non strictè & absolute, sed latè, seu secundum quid: non enim regulariter imponit obligationem privilegii operandi, juxta concessa in privilegio, quod petit rigorosa lex; licet aliquibus illam imponat, juxta dicenda *Disp. 4. sect. 2. num. 2.* Dicitur *speciale beneficium concedens*, sub quibus verbis continetur qualibet gratia, favor, & quidquid potest esse utile privilegiato; unde concessio indulgentiæ, carniæ, & laetiorum comestio in diebus vetitis, & facultas absolvendi præcipue pro aliqua Communitate, & in perpetuum concessa, & similia, inter privilegia computanda veniunt. Insuper de ratione privilegii est, quod semper operetur aliquid præter jus commune, vel contra illud: quod addo, quia non semper est necessarium, ut operetur contra, ut alicui absque solido fundamento volumus; sufficit enim, quod extra illud operetur; ut patet in concessione indulgentiarum, quæ ad privilegia reducuntur, modo dicendo, *Disp. 8. sect. 3.* & tamen non contra, sed præter jus commune conceduntur. Nec invenies in jure indulgentias prohibitas. Sic Bonacina *Disp. 1. de leg. quest. 3. num. 1.* Portell. *verb. Privileg. num. 1.* Bordon. *Tom. 2. var. resolut. resol. § 2. art. 4.* de quo infra fulius dicemus.

2. 2. Quamvis variæ privilegiorum divisiones inveniantur apud Authores: Tamen, qui, aut benè notat Donatus *Tom. 1. tract. 4. de privileg. q. 1. num. 4.* qualibet privilegia in rigore, vel sunt absolute realia, vel absolute personalia, vel de illis participant, & sic omnia ad realia, vel personalia reducuntur, v.g. generale, particula-

re, locale, corporale, mixtum, & alia similia. Hinc ut brevitati intentæ consulam ad limen operis, solum reale, & personale explanabo: Cætera verò in discursu operis, juxta exigentiam doctrinæ explicanda differo.

3. Privilegium reale est, quod immediate conceditur omnibus, vel aliquibus in communi, puta statui, Religioni, officio, Ecclesiæ, Conventui. Privilegium locale est, quod alicui determinato loco, ratione sui conceditur, & potest aliquando inter realia reputari, aliquando verò inter personalia; quia de utrisque invenitur participare, ut ex dicendis, propriis locis constabit. Privilegium personale est, quod immediate conceditur personæ particulari, ratione sui, & in ea sistit, nisi aliud in ipso privilegio notetur.

4. Privilegium reale transit de persona in personas, sequendo semper rem, locum, dignitatem, Religionem, & personas, cum quibus semper conjunctum manet, & sic est perpetuum. Personale personam sequitur, & cum illa exinguitur; ratio est, quia primum respicit bonum commune, secundum verò, bonum privatum, *Suar. lib. 8. de leg. cap. 10 & 11.* cum cæteris. Hinc habes, quod privilegio concessio alicui Religioni in communi, nullus particularis, etiam Generalis, renuntiare potest; sed quis hoc possit, dicitur infra loquendo de renuntiatione privilegii *Disp. 3. sect. 1.*

5. In dubio, an privilegium sit reale, vel personale? Si sit favorabile judicando in est reale; si sit odiosum, personale, Portell. *ubi supr. num. 4.* Bonacina. *punct. 1. n. 7.* Bordon. *num. 15.* & alij multi.

6. Sed est notandum, quod privilegium pure favorabile est illud, quod ita fa-

vet privilegiario, ut nulli juri, nec tertio præjudicet. *Odiusum* est quod præjudicat juri, sive communi, sive speciali, ut privilegium non solvendi decimas, absolvendi à reservatis, seu dispensandi. Verum est, quod in his privilegiis, vel potest attendi favor privilegiati, vel damnum tertij. Si primum attendas, erit favorabile, & sic petit amplè intelligi. Si secundum, est odiosum, & sic stricte; sed quomodo ad praxim adaptanda hæc sint, dicam mox *sect. sequente.*

7. Cum ferè omnia privilegia concessa Regularibus, sint primò, & per se concessa, vel toti Religioni, vel alicui Provincia, Conventui, Ecclesie, vel Dignitati, vel particularibus in communi, ut ex ipsis constat, absque dubio judicanda sunt realia, & perpetua, vel respectu totius Religionis, vel Provincia, Conventus, seu officij; etiam si personæ in eis varientur, quia faciunt unum morale, sicut aqua fluvij. Sic communiter Doctores, *Rodr. Tom. 1. question. Regul. quest. 16. art. 14. §. ex quibus. Comp. Hieronym. Rodrig. Resol. 116. num. 2. Portel, verb. Privilegium, num. 4. Bordon, num. 13. & constat ex dictis sup. n. 2.* Complures alias privilegiorum divisiones adducit, & compendio exponit noster Antonius à Spiritu sancto, in suo *tripartito Regularium directorio, Tract. 1. Disput. 1. sect. . . .* & noster Urbanus ab Ascensione, in sua *Theologia morali, canonica & practica, Tract. 2. part. 1. cap. 1. de privilegiorum divisione.*

SECTIO II.

De privilegiorum interpretatione, & ampliatione.

1. **N**otare oportet Primò, quod

quando privilegium est *merè gratiosum*; & purum beneficium, ita ut neque juri communi, neque alteri nocet, est interpretandum latissimè, secundum quod proprietas verborum patitur, sive sit *naturalis*, sive *civilis*. Proprietas *naturalis* dicitur, significatio verborum, quæ ex simpliciter, & primaria impositione oritur. *Civilis* autem appellatur, quæ fit per extensionem, & participationem fictam à jure. v. g. Hæc dictio, *mors*, in propria naturali significatione significat mortem naturalem; at secundum jus, significat etiam mortem civilem, qualis invenitur in Religiosa professione. Et *filius*, secundum naturalem significationem, significat genitum, sed secundum civilem significat adoptivum; vide plura apud *Suar. lib. 6. de leg. cap. 1. Azor. Tom. 1. lib. 5. cap. 16. q. 4. Salas de Leg. disp. 21. sect. 3. n. 4. Rodrig. Tom. 1. q. 11. art. 6. Merolam Tom. 2. disp. 4. dub. 2. cap. 9. num. 8. & dub. 3. num. 17. usque ad 28. inclusivè*, ubi plura exempla adducit, notatu digna, ita communiter DD. habenturque expressè in l. *beneficium, ff. de const. Princip. & in cap. quia circa, de privileg. & cap. dilect. de donat. & in cap. olim, de verb. sign.*

2. *Secundò* nota, quod quia privilegia concessa Regularibus, data sunt in favorem causæ piæ, Religiosæ, & animarum (loquor de privilegiis realibus, non de personalibus) etiam si sint contraria juri communi, latè intelligenda sunt. Ratio est quia hujusmodi privilegia cum non uni personæ privatæ, sed toti Communitati concessa sint, & in perpetuum; in hoc æquantur legibus juri communi insertis, quæ latam interpretationem habent, *Silvest. verb. Privilegium, q. 3. Suar. lib. 8. de leg. cap. 27. n. 7. Enriq. lib. 7. cap. 22. n. 3. &c*

Ex modernis Sanch. de matrim. disp. 1. & 2. in principio, Coninch. Part. 2. disp. 33. dub. 2. num. 16. Laym. lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 6. noster Lezana, verb. Privilegium, n. 9. Bord. resolut. Tom. 2. resolut. 32. num. 26. & deinceps, præcipue num. 28. sed vide infra dicenda disp. 4. de revocat. & 7. de confirmatione privilegiorum.

IO. 3. Tertiò nota, quod quando privilegium est concessum *motu proprio*, tunc etiam si sit contra jus commune, ampliatur; juxta *cap. si motu proprio, de præbend. in 6.* ut tradunt Jurista, quos sequitur, & refert idem Lezana *ubi supr. num. 9.* Ratio est, quia hæc extensio pertinet ad favorem, & honorem ipsius Principis concedentis: nam, quod *motu proprio* concedit, censetur ejus proprium beneficium, & ex certa scientia fieri, ut in dubio extendatur potius, quam restringatur, ita Suarez *ubi supr. cum Portel. de dub. reg. verb. Privilegij extensio, num. 45.* Layman, Bord. Lezan. & alij. Et idem dicendum est, si in privilegio addatur clausula *ex certa scientia*, vel *de plenitudine potestatis*; ita Donatus Dominicanus *Tom. 1. tract. 9. clausula ex certa scientia, n. 8.* & probat ex multis; imò clausula *ex certa scientia*, vel *de plenitudine potestatis*, extenduntur plusquam *motu proprio*, & operantur non solum in præjudicium juris communis, sed etiam tertiæ personæ, & tollunt jus alterius, juxta dicenda suo loco; quidquid dicat in contrarium Bord. *Resolut. 52. num. 65.* sed fortè non loquitur de privilegiis reabilibus Religionum, ut constat ex ipsius doctrina, infra referenda; sed de his clausulis, & quomodo interpretandæ sint, dicemus latè *Disput. de confirmatione, & derogatione privilegiorum.*

II. 4. Quarta nota, quod licet communi-

ter Doctores affirmant, quod privilegia Regularium semper sint favorabilia; respectu ipsorum, & aliquando odiosa respectu aliorum, non tollit, quod latè intelligenda, seu interpretanda sint: Quia Papa, quod intendit per se, & principaliter est, favorem concedere, licet ex consequenti, & quasi per accidens, sequatur damnum alterius, & sit odiosum illi: quod patet in privilegio concessio Ecclesiasticis in communi, videlicet Canonis: *Si quis suadente diabolo*, quod dicitur absolute favorabile, in gratiam, & favorem Clericorum; licet percutientibus sit odiosum; & quia in eo principaliter intenditur favor à Principe, & per accidens sequitur odium aliorum: de hoc non est curandum, ita ex Gloss. in *cap. sciant cuncti, de elect.* Navarr. *lib. 3. consil. conf. 32.* Covarru. in *4. Decretalium p. 2. cap. 8. num. 6.* Rodrig. *Tom. 1. q. 12. art. 7.* Donat. *Tract. 8. de interpret. privileg. q. 6.* & alij communiter.

Quæ doctrina maximè valet in privilegijs, quæ concernunt favorem animarum, & in privilegijs comedendi carnes, seu lactinia tempore prohibito, vel recitandi ante horam debitam, aut audiendi confessiones, vel absolvendi à casibus reservatis, vel eligendi Confessorem; quia etsi prima facie videantur in præjudicium Episcopi, Ordinarij, vel Parochi; hoc præjudicium non est considerabile: imò neque est præjudicium, sed potius in Episcoporum adjutorium, & levamen: sic Suarez *lib. 2. de legib. cap. 34. num. 15.* Quod prius docuit D. Thom. in *4. distinct. 17. q. 3. art. 3. quæstion. 5.* ubi addit, quod in his consideratur favor animarum, & ob id, si sint concessa sine temporis limitatione, tanquam favorabilia, nullius temporis præscriptione, nec per non usum poss-

sessio

lesionem amittuntur: quod valde notandum pro dicendis *infra disp. 3. sect. 1.*

12. 5. Et mihi non displicet doctrina Bordonii *Resolut. 52. num. 18.* ubi sic ait: *Ego puto privilegia regularia, siue sint contra jus commune, siue ledant jus tertij, adhuc dicenda esse potius favorabilia, quam odiosa.* Tum, quia Princeps concedendo privilegium liberè cedit juri suo, & consequenter sibi non præjudicat, neque odiosus est. Tum quia concedendo Papa privilegia Regularibus, quæ tangunt jura Episcopalia, & Parochialia, non dicitur ledere in aliquo eorum jura: Quia læsio supponit actum injustitiæ: Papa autem nullius injuriam lædit, cum jure suo utatur in concessione privilegiorum, quia est supra jus, & præest omnibus, & ab eo omnis potestas spiritualis vel pendet, vel dimanat in alios, quibus potest illam ampliari, & restringere; quia dependenter ab illo eam recipiunt, & possident. Unde privilegia ab illo concessa, nullam videntur habere rationem odij, sed gratiæ, & favoris; quia summa est ratio, quæ pro Religione stat, ut constat ex vulgatis juribus, & docent Oldrad. *Conf. 300. num. 4. §. considerandum,* Enriq. *lib. 7. de indulgentiis cap. 22. num. 3. & c. 24. num. 4. in fine,* Sanch. *lib. 8. de matrimon. disp. 1. num. 13.* & alii communiter.

13. 6. Nec valet si dicatur restringenda esse, quæ juri communi præjudicant, *Cap. cum dilectus 8. de consuetud. Cap. inter dilectos, de fide instrument. ubi dicitur: Quæ à jure communi discrepant, ad illud esse reducenda, & quæ exorbitant à jure, non sunt in consequentiam trahenda, Reg. 23. in 6.* & omnis recessus à jure communi, ut odiosus, restringendus est: sed multa privilegia Regularium exorbitant à jure com-

muni, & odiosa sunt, cum præjudicent Episcopis, & Parochis; ergo. Respondetur ex dictis, quod principale intentum Papæ est, favore, & beneficio officere Religiosos, ex quo si per accidens sequatur vulneratio juris, non attenditur: Nam principale in unaquaque re, non accessorium spectandum est, *l. rogasti, ff. si cert. pet. Rot. Rom. vol. 1. decis. 714. num. 12.* vel dic, quod Papa de sua potestate potest restringere, & limitare jura Episcoporum, & Parochorum: quia illa habent dependentem ab illo, qui est omnium Dominus. Unde si limitat, nullum lædit, nec ulli facit injuriam; nam ut optime advertit D. Thom. *ubi supr. quæstiuncula 5. ad 1. Præjudicium non fit alicui nisi subtrahatur, quod est in favorem ipsius indultum; jurisdictionis autem potestas non est commissa alicui homini in favorem suum, sed in utilitatem plebis, & honorem Dei. Et ideo, si superioribus Prelatis videatur ad salutem plebis, & ad honorem Dei promovendum, quod aliis, quæ sunt jurisdictionis committant, in nullo fit præjudicium inferioribus Prelatis, nisi illis, qui quærent, quæ sua sunt, non quæ IESU Christi, & qui gregi præsent, non ut eas pascant, sed ut ab eis pascantur.* Hæc D. Thom.

Nec molestum erit lectori alia verba ejusdem Angelici Doctoris audire ex opusculo 19. contra impugn. *Relig. cap. 4. paulo ante fin.* ubi postquam argumentum de præjudicio, seu læsione Episcoporum, & Parochorum appositum, sic responderet: *Dicendum quod præjudicium dicitur fieri alicui, quando subtrahitur ei aliquid, quod in favorem ejus est indultum, vel quod ad utilitatem ejus ordinatur; sed subiectio alicuius subditi ad Rectorem Ecclesiæ, non est ordinata principaliter ad utilitatem præsentium, sed ad utilitatem subiectorum; unde*

Ezechiel. 34. dicitur: Vae Pastoribus Israel, qui pascebant semetipfos! Nonne greges pascebuntur à Pastoribus? & ideo, nullum præjudicium fit Rectori Ecclesie, quando subditus ejus à sua potestate eximitur, sine præjudicio ejus; sicut Papa eximit Abbatem à potestate Episcopi, sine ejus præjudicio, & similiter Episcopum à potestate Archiepiscopi. Si autem ipsemet operetur in subditis, quæ pertinent ad salutem, vel alijs hoc ipsum committat, non solum non facit ei præjudicium, sed præstat ei magnum beneficium, quod maxime acceptatur à cunctis Rectoribus, qui non querunt, quæ sua sunt, sed quæ IESU Christi. Unde super illud, Numer. 12. Quid æmularis pro me? dicit Gloss. Greg. pia mens Pastoris, quia non propriam gloriam, sed auctoris querit, ab omnibus vult juvari, in eo quod facit. Fidelis enim Predicator optat, si fieri valeat, ut veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent. Hucusque D. Thom. quæ valde notari debent à superioribus Ecclesiasticis.

14 7. Sed ut omnis scrupulus è medio tollatur, nota quintò, quod aliqui Pontifices concessere Superioribus Regularium, ut ipsorum privilegia interpretentur in favorem ipsorum Religiosorum, & hoc lato modo semper; & similiter, ubi dubitatio in privilegio oritur ex ambiguitate verborum, vel ex Juristarum interpretatione; ita concessit Leo X. Camandulensibus, & Julius II. Olivetanis, ut haberetur in *Compendio Societatis*, verb. Privileg. §. 4. & *Alexand.* 6. Benedictinis Cassinensibus, ut haberetur in eorum *Compendio concess.* 49. testibus Lezana, verb. Privilegium num. 10. quest. 6. num. 4. Joann. de la Cruz lib. 2. de Stat. Regul. cap. 2. ad fin. & addit Tamburinus, idem concessisse Iulium II. Congre-

gationi Vallis-Umbrosæ, & *Compendium privileg.*, teste Bordonò *resolut.* 9. n. 9. §. 6. & 10. ubi ait: Quod statuta, & privilegia Regularium, non sunt ita rigorosè interpretanda, ut servandi sint apices juris, sed amplianda ex bono, & æquo, ut docet Bald. cum alijs.

8. Quibus prænotatis, dubitatur Primò, quis possit privilegia dubia interpretari? dixi dubia; quia in omnino certa, & clara non cadit interpretatio, sed observatio.

9. Pro dubij resolutione advertit, duplicem esse interpretationem, aliam doctrinalem, seu magistralem; aliam judicialem, seu authenticam. Prima, potest fieri à viris doctis, seu à quolibet Doctore prudente, & sapiente, etiam si in clausulis privilegiorum, seu Bullarum dicatur: *Nemini liceat ipsa aliter declarare, seu interpretari*; vel *sublata potestate aliter interpretandi, & determinandi*; quia istæ, & similes clausulæ loquuntur solum de interpretatione, seu declaratione authentica, & judiciali, de qua jam dicam. Ita Sotus *lib. 1. de just.* q. 7. art. 3. & *lib. 3. quest. 4. art. 5.* Covarr. in *regul. poss.* 2. p. §. 6. n. 2. Rodrig. Tom. 1. quest. 11. art. 10. Peyrinus, Tamburinus, & alij communiter cum nostro Lezana, num. 11.

10. Quæ Doctrina aded vera est, ut licet PIVS IV. in Bulla confirmationis Tridentini, quæ incipit, *Benedictus*, &c. quæ reperitur in fine præfati Concilij, præcipiat Prælati sub pœna excommunicationis late sententiæ, ne Commentaria, Glossas, annotationes, scholia, ullumve genus interpretationis, super ipsius Concilij decretis, quoquo modo addere, aut statuere audeant; etiam prætextu majoris corroborationis ipsius Concilij: nihilominus Barbosa in *prologo Apologetico*, de consilio doctissimorum virorum divi-

ni, & humani juris, ait, in dicta Bulla duotantum excludi. *Primum*, declarationem authenticam, & judicialem: *Secundum*, declarationem, quæ fit ex capite, & prout cuilibet libet; non autem interpretationem doctrinalem, secundum jura, & fundatam rationem, & citat multos in sui favorem: quæ intelligentia habet non leve fundamentum in verbis ipsius Concilij, *sess. 22. decret. 2.* ubi hortatur Doctores, & Magistros, Canones, & decreta hujus sanctæ Synodi integrè recipere, & ad eorum normam docere, & interpretari: permittit ergo interpretationem doctrinalem. Unde nisi in rebus, in quibus necessaria est declaratio authentica Papæ, non est neganda interpretatio doctrinalis Doctorum, fundata in jure, & optima ratione.

Addit, & bene Joann. à Cruz Dominicanus *lib. 2. de privileg. cap. 2. dub. 1.* quod in dicto decreto Concilij, non est veritum, quod quis faciat annotationes, & commentaria manuscripta, sed quod publicentur, & imprimantur. Nam manuscripta pro juvanda memoria, unusquisque potest facere, neque est prohibitum; ut Doctores in suis libris incidenter declarent aliqua decreta Concilij, cum hoc non sit edere Commentaria, seu glossas super decreta Concilij, ut communiter faciunt Scribentes. Quare juxta præfatam distinctionem interpretationum, intelligenda sunt alia decreta Pontificum, quantumvis habeant clausulas prohibentes interpretationes, & in praxi hoc observatur in quolibet eventu; ut patet in *Clementina Exivi, de verb. sign.* ubi D. Papa reservavit sibi interpretationem regulæ S. Francisci de Assisio, & tamen non desunt, qui illam interpretan-

tur doctrinaliter; ut fecit Corduba, in *Introductione, q. 5.* Rodriguez *Tom. 1. quest. q. 11. art. 3.* Martinus à S. Joseph & alij multi viri docti.

11. Similiter Patribus Minimis *S. Francis* de Paula, Auctoritate Apostolica, prohibitum est, sub gravibus pœnis, & cum clausula reservativa declarandi, vesci carnibus, nisi in casu infirmitatis, & de licentia Medici, & in eorum infirmitatis; & nihilominus sunt, qui consultivè, & doctrinaliter dicant, & prædicent (clausula non obstante) eorum Prælatos posse declarare prædictum decretum Apostolicum, in certis casibus non obligare, nec procedere: quo fit, ut quis sine pœnarum metu, & sine scrupulo extra septa Monasterij, possit carnes manducare, ut latè ostendit Peyrinus *Tom. 1. de subdito, q. 4. cap. 8.* igitur, de consuetudine, jure, & ratione, interpretationi Doctrinali, seu magistrali, ubicumque datur locus. Teste Bartolo in *l. omnes populi, quest. 6. verb. Tertio loco, num. 62. ff. de just. & jur.* & aliis communiter.

12. Secunda declaratio, seu interpretatio dicitur *authentica*, seu *judicialis*, & ab aliquibus appellatur *potestativa*, & *definitiva*, & hæc in omnium sententia, solum pertinet ad eum, qui legem, privilegium, vel statutum condidit, *l. ult. §. ex his, C. de legib. & l. si Imperialis majestas; l. leges sacras prima, C. de leg. & Cap. inter alia, de sent. excom. & Cap. cum venissent, de judic.* & sic interpretari jus divinum, vel Canonicum, ad solum Pontificem spectat, *C. venerabilis*, qui filij sunt legitimi; sicut interpretari leges civiles pertinet ad Imperatorem, vel ad Principem illum, qui est legis conditor, vel ad successorem; sic sentiunt omnes Doctores.

13. Hinc

19. 13. Hinc intelliges differentiam inter has interpretationes: doctrina enim non obligat; reddit tamen conscientiam securam ad operandum juxta illam, absque peccati labe; at verò *authentica* obligat conscientias; est enim quasi nova lex, vel supplens defectum primæ legis, vel addens aliquid, vel restringens; ob quam causam sentiunt Doctores, quod ut obliget, debet publicari, quasi nova lex.
20. 14. Cum ergo privilegia Religiosorum sint quasi leges Pontificiæ, non possunt interpretari authenticè, & juridicè, neque ab Episcopis, neque ab Archiepiscopis, neque ab aliis Prælati Ecclesiasticis. Et ut omnis ambiguitas in hac parte è medio tolleretur, id illis prohibuit Clem. IV. *Conf. Ordinis vestri*, pro Prædicatoribus, & Minoribus, apud *Confest. num. 5. pag. mibi 13* & in Bullario magno Cherubini novo pag. 12. & Paulus III. Societati IESV, ita Rodrig. Tom. 2. q. 63. art. 7. Portel. verb. *Privileg. num. 76. Mirand. Tom. 2. q. 44. art. 1. conclus. 2. Tamb. Tom. 1. disp. 16. q. 6. num. 1. Bordon. resolut. 52. num. 50.* & alij; sed interpretatio Doctrinalis non eis prohibetur, sicut neque aliis Doctores, vide *infra in fin. sect. 4. hujus disputationis à num. 11.*
21. 15. Hic autem nota, quod privilegiorum Regularium dubia, in favorem ipsorum Regularium interpretanda sunt; ex concessione Alexand. VI. facta Benedictinis Vallisolet. anno 1501. Romæ Kalendis Aprilis, sub his verbis: *sic, ut quando dubium fuerit in intellectu privilegiorum Regularium, semper per jurisperitos, & alios judices in favorem Regularium fiat interpretatio*; ita Rodriguez Tom. 2. q. 63. art. 7. pag. 633. *Compend. Societ. IESV. §. 4. Brun. Chassang, Tract. 1. cap. 4. proposit. 2.*
- ubi concludit: *quando sunt duæ sententiæ contrariæ, quod valeat, aut non valeat privilegium; quod sit revocatum, vel non sit revocatum, censendum est valere, & non esse revocatum; quod debet notari pro multis casibus.*
16. De Prælati autem ipsarum Religionum dicendum est, posse etiam authenticè, & judicialiter privilegia interpretari juxta tenorem sequentium privilegiorum. Primò, Iulius II. in sua tertia Constitutione, sub annu 1504. die 14. Decembris, id concessit Eminentissimo Cajetano, tunc temporis Magistro Generali sui Ordinis, accipe verba: *Considerantur quod multa tibi in tanta cura accideri possunt, qua Sancta Sedes auxilium, & benignitatem respiciunt, illis duximus de apostolica Sedis plenitudine succurrendum, itaque volumus, & tibi concedimus, quod si in Constitutionibus Ordinis Prædicatorum, aut circa privilegia indulta, gratiasque, & exemptiones ab ipsa sancta Sede illi concessa, aut concedenda concessa sive, aut concedenda, qua etiam, & quas harum tenore, & ejusdem Sedis auctoritate confirmamus, aliqua ambiguitas emerferit, Tu illa (quoad serenitatem illarum conscientiarum, qua tibi subiecta sunt duntaxat) possis auctoritate Apostolicâ declarare.* Hæc Pontifex, & habetur in *Compend. privileg. Prædicat. fol. 173.* & hoc privilegium fuisse concessum non solum Cajetano, sed omnibus Generalibus sui Ordinis, docent Peirius, & Tamburinus, quos refert, & sequitur Lezana, num. 12. & idem privilegium iterum ipse Iulius II. concessit vivæ vocis oraculo Patri Generali Stephano Ufusmaris, & habetur in actis Capitularibus Prædicatorum, Romæ celebratis anno 1553 & refert Joan. de la Cruz de *statu Religios. lib. 2. cap. 2. Donatus*

Donatus Tom. 1. tract. 8. q. 7. n. 1. & 2. Peyrinus, Tamburinus, & alij.

23. 17. Insuper Sixtus IV. concessit Canonis Regularibus S. Salvatoris, Bulla X. in ordine Bullarij magni: Quæ incipit, *Ad universos*, §. 3. & refert Pereg. ex *Compendio Theatinorum*, Megala in suo *Promptuario Tom. 3.* verſ. *Declarare*, Caſſarubius, & Sorb. in *Compend. privileg.* verb. *Declarare*, ut quivis Regularium Prælatuſ, non ſolum per communicationem privilegiorum, ſed de particulari indulgo, hæc, & alia majora poſſit declarare: & Paulus V. Præpoſito, & deputato Congregationis Oratorij Neapolitani conceſſit, ut autoritate Apoſtolica, dubia tam regulæ, quàm fuorum privilegiorum, in beneficium fuorum ſubditorum poſſit declarare, ſic Merola lib. 3. de privileg. diſput. 6. cap. 6. dub. 8. num. 258. Donatus ubi ſupr. num. 6. Quibus privilegijs, ſupponunt præfati Authores, cum Lezana num. 12. gaudere omnes, qui participant in privilegijs, cum dictis Ordinibus.

24. 18. Ex quibus non pauca deducenda veniunt. *Primum*, præfatam declarationem, ſeu interpretationem, non ſolum poſſe fieri à dictis Prælatiſ doctrinaliter; ad hoc enim nullo indigebant privilegio; nec ſpeciali delegatione ſummi Pontificiſ; cum poſſint ſine illiſ, ut particulares viri docti, doctrinaliter interpretari, ſicut & cæteri Doctores; ſed etiam autoritative, & juridiçè definire; ita Peyrinus, & Tamburin. relati, cum Lezana *ibidem*, Donatus ubi ſupr. num. 8.

25. 19. *Secundum*, quod dicta authentica interpretatio Prælatorum Regularium ſolum habet vim pro ſiſ ſubditis,

ad differentiam interpretationiſ authenticæ Eminentiffimorum Cardinalium, quæ afficit, & obligat omnes, & in utroque foro, Peyrin. in *Annotat. ad Bullam Julij 11. Tom. 2.* Tamburin. de jur. Abbat. Tom. 1. diſt. 16. q. 6. n. 7. & alij, ſed de hoc dicam ex profeſſo ſect. ſequenti.

26. 20. *Tertium*, eſſe faciendam dictam interpretationem prudenter, & cum conſilio peritorum, ut etiam dicemus ſect. ſeq. & hanc poteſtatem extendendam eſſe, ut favorabilem ad Vicariuſ Conventuum loco Superioriſ deſuncti, vel officio privati, vel abſentis per longum tempuſ deſtinatoſ; ac etiam ad Vicariuſ parvarum domorum; quæ ob reddituum tenuitatem, vel ob aliam cauſam rationabilem in Conventuſ, ſeu Prioratuſ non ſunt erectæ. Hi enim omnes in favorabilibuſ, & gratioſiſ veniunt, nomine Prælati, cum habeant curam animarum, poteſtatem, & juridiçionem in utroque foro; ita multi, quos citant, & ſequuntur Peyrinuſ Tom. 2. de Prælat. q. 1. cap. 4. §. 4. Donatuſ q. 7. num. 2. hinc inferes cum Lezana numer. 13. qualiter Prælati Regulares non ſolum poſſunt interpretari, ſed etiam limitare, reſtringere, imò etiam tollere ſiſ ſubditis uſum quorumcumque privilegiorum à Sede Apoſtolica dimanantium; ita ut nequeant talibuſ privilegijs uti: Tum ex conceſſione Leonis X. facta Minoribuſ, & Auguſtinianiſ, & ex Clemente IV. Ciſtercienciſibuſ, & Gregorio XIII. Societati Ieſu. Tum etiam ex ratione, quia nullo modo credendum eſt velle ſummoſ Pontificiſ Regulariſ Obſervantiæ maximo pere Zelatores, ut Fratres privilegijs eorundem

B dem

dein O dinibus concessis, uti possint contra voluntatem suorum Superiorum; ita *Comp. Privileg. Mend. verb. Privilegium, num. 78.* Rodriguez *Tom. 1. quest. 9. art. 2.* Tamburin. *disp. 16. quest. 9.* Pelizar. *Tom. 2. tract. 8. cap. 1. sect. 4. quest. 5. num. 62.* Diana *3. part. tract. 2. resolut. 87.* unde quando dicti Prælati utuntur autoritate Apostolicâ, sibi concessâ, in supradictis privilegijs interpretandis, seu declarandis, seu limitandis authenticè: Subditi tenentur stare eorum determinationi; ita Lezana *ubi supr. & 1. Tom. cap. 18. num. 56.* cum alijs: nam operantur, ut Legati Sedis Apostolicæ. Pro complemento hujus puncti restabat proponere aliquas regulas pro prudenti, & legitima interpretatione privilegiorum; quando eorum verba aliquod dubium ingerunt, sed claritatis gratiâ remittimus in sectionem sequentem. Poterunt quoque de hac privilegiorum interpretatione videri è nostris Antonius à Spiritu sancto *Tract. 5. directorij Regular. disp. 1. sect. 8.* Franciscus Bonæ Spei *Tom. 4. sue Theolog. Tract. 3. Disput. 11. dubio 3.* & Urbanus ab Ascensione, *Tract. 2. sue Theolog. moralis part. 1. cap. 4. Reg. 8. & 10.*

SECTIO III.

De regulis rectè interpretandi privilegia, jura, & alia decreta Pontificia.

27. **U**T interpretatio privilegij, seu Bullarum rectè fiat, primo loco debet attendi mens, seu voluntas Principis concedentis, in cujus conjectura ferè tota rectitudo interpretationis fundatur, & innititur, ut optimè no-

tant Suarez *de legib. cap. 28. num. 7.* Lezana *n. 9.* & alij communiter. Unde regulæ quæ ad cognoscendam dictam voluntatem Principis ex tenore scripti, seu privilegij, prodesse possunt, sunt eligendæ, & proponendæ. Quarum prima sit, quando privilegium lædit jus alterius, necesse est attendere mixtionem favoris privilegiati, & læsionis alterius, & illud, quod vincit erit amplectendum. Nam hoc recta, & prudens ratio postulat, à qua non est credendum summum Pontificem voluisse deviare in sua concessione.

28. 2. *Secundò*, attendenda est causa, quæ movit Pontificem ad concedendum privilegium, nam ut notat D. Thom. *1. 2. quest. 96. art. 6.* non res sermone, sed sermo rei debet esse subjectus. Quare causâ motivâ cognitâ non erit difficile voluntatem agnoscere; cum igitur hæc causâ motiva contineatur in supplica, tenor supplicæ præ oculis debet haberi, quia Papa se solet accommodare precibus petentium; sed hoc solum deservire potest pro privilegijs concessis ad supplicationem privilegiati, non verò pro concessis motu proprio.

29. 3. *Tertiò*, inspicere debet tenor inter privilegij, & attentè est legendus, & juxta proprietatem verborum, seu secundum usitatam verborum significationem declarandum, seu interpretandum est. Quæ regula habetur *Cap. Porro 7. & Cap. Recipimus 8. de privileg.* proprietas autem verborum non crassa (ut ajunt) minerva, sed in proprio sentiu, & juxta subjectam materiam pensari debet, unde si ex verbis, ut sonant acceptis, privilegium nihil concederet, vel

vel sequeretur absurdum; debent accipi in prudenti, & rationabili significatione, ut semper extra, vel contra jus, aliquid concedant, & absurdum non admittant, juxta dicenda *disp. de revoc.*

30. 4. *Quarto* in Bullis, & privilegiis potius pars dispositiva, quam narrativa, seu enunciativa attendenda est, quia in ea mens concedentis exprimitur juxta communem sententiam; pars autem dispositiva incipere solet per verba, *Nos igitur*. Verum quidem est, quod procerimia privilegiorum juvant ad cognoscendam mentem Pontificis, siquidem in eis causa finalis solet includi; si tamen verba procerimij non sufficiant, ad media, & extrema procedendum est; nam unum extremum per aliud indagatur, ut dicitur in *Cap. 2. Requiris 141. de appellat.* & ibi Bald. cum *Gloss.* ubi *Celestinus* Papa ait: *Vtriusque juris argumenta nos docere, ea que in principio, ad medium, & ad finem referuntur: quia media declarantur per extrema, & per unum extremum declaratur & aliud.* Et est communis propositio in utroque jure, ut bene notat *Thesau. lib. 1. quest. forens. q. 1.*

31. 5. *Quinto*, si adhuc post dicta, mens Pontificis ignoratur, à verosimili indaganda est, *l. non est verosimile, ff. de eo quod metus caul. l. cum in testamento, ff. de reb. dub.* Qui enim arguit à verosimili, arguit à ratione naturali: quia verò similitudo est germana naturæ, Bald. *conf. 180. n. 3. volum. 3.* & qui pro se habet verosimile, habet pro se causam legis, *Cravet. Conf. 292. n. 6.* sed hoc non valet in pœnalibus, ut notant dicti Auctores.

32. 6. Adverte, quod qui in dubiis uti-

tur Epicheias tenetur legum rigores temperare, id est, procedere de bono, & æquo simpliciter, & de plano, relictis juris apicibus, & subtilitatibus, sequendo jus gentium, & lumen naturale. Æquitas enim procedit secundum simplex jus gentium, cui addita sunt rigor, & alia subtilitates de jure positivo, ut in testamento ad pias causas, omiſsa solemnitate juris, quod ibi debeant septem testes intervenire, satis erit duos, vel tres adesse, quod est de jure naturali & divino; in ore duorum, vel trium stat omne verbum *l. bona fides 31. ff. de positi.*

7. *Septimo* nota, quod licet verissimum sit, quod in verbis dubiis tam legum, quam privilegiorum, recurrendum sit ad Principem, si commodè potest, & non est periculum in mora. Hoc tamen est intelligendum respectu interpretis non habentis aliam potestatem interpretandi, quam doctrinalem, seu magistralem: nam si habeat potestatem delegatam à Principe interpretandi authenticè, & judicialiter, adhuc præſente Principe poterit uti illâ; gerit enim vices Principis. Unde cum Prælati Regulares, ut diximus *seccióne antecedenti*, habeant hujusmodi potestatem, respectu privilegiorum pro sibi subditis, ubicumque poterunt uti illâ secundum modum supra præfixum.

8. Sed quia ad veram intelligentiam Bullarum, & privilegiorum plurimum juvat penetratio clausularum, quæ in eis adhiberi solent; Idcirco videnda omnino sunt, quæ Deo favente, de posterioribus clausulis dicemus in *sequentibus disputationibus*. Legendi de his nostri *Urbanus ab Ascensione Tract. 2. Theolog. moralis part. 1. cap. 3. Regula 7. &*

Antonius à Spiritu sancto, *Tract. 5. Directorij Regul. Disp. 1. Sect. 5. qui 26.* privilegiorum clausulas ex variis Authoribus producit & exponit.

SECTIO IV.

De autoritate declarationum Eminentissimorum Cardinalium.

35. **C**irca declarationes Sacrarum Congregationum Eminentissimorum Cardinalium, quarum notitia maximè necessaria est, aliqua notari oportet. Primum, quod de mandato *Vrbani VIII.* sequens decretum editum fuit à Congregatione Sacri Concilij, die 11. Augusti 1631. & repetitum anno 1632. in Sacra Rituum Congregatione, ubi sic decernitur: *Sacra Congregatio ex speciali Sanctissimi Domini nostri VRBANI, Divina providentia, Papa VIII, iussu mandat, & precipit huiusmodi declarationibus, decretis, seu decisionibus, tam impressis, quam imprimendis, ac etiam manuscriptoris, nullam fidem in iudicio, vel extra esse adhibendam; sed tantum illis, que in authentica forma, solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Praefecti, ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium, munita fuerint, in quorum fidem hac propria manu subscripsimus, & sigilli proprii Sacra Rituum Congregationis impressione communiri, & typis mandari iussimus. Datum Roma die 11. Augusti 1632. Episcopus Ostiensis, Cardinal. Pius. Loco sigilli. Iulius Rospigliofus Secretarius.* Sic referunt *Barbof. in collect. Bullarum, verb. Congregatio, n. 2. & 3. Donatus Tract. 8. q. 4. num. 3. nothet Lezana in summ. verbo Congreg.*

Quae omnia ad declarationes omnium Congregationum merito extenduntur, ut bene notat *P. Joannes Martinez de Prado Tom. 1. q. 7. s. 2. num. 8.*

2. Huiusmodi decretis voluit sua Sanctitas obviare inconvenientibus, quae ex minus certis, ne dicam falsis, seu mutilatis declarationibus, tam in foro interiori, quam in exteriori oriri solebant. Advertit tamen noster *Lezana*, quod licet declarationibus praedicto modo non munitis, & authenticis, non sit adhibenda fides certa, & indubitata; potest tamen adhiberi fides probabilis, si à viro fide digno referantur.

3. His praelibatis dubitatur, *An declarationes Eminentissimorum Cardinalium praefato modo authentico exhibita, habeant vim legis, & ut tales obligent ad sui observantiam?* In qua re, divisi sunt Authores; multi enim sentiunt, non habere vim legis, sed solum esse doctrinales, magnae tamen auctoritatis, & aestimationis, utpote tantorum virorum, qui non solum suam scientiam, & prudentiam, verum & aliorum magni nominis Doctorum ferè semper consilijs utuntur. Ideoque ab eis sine firmo fundamento (dicunt) non esse recedendum, quamvis obligationem non importent; sic innumeri Theologi, & Juristae, ut videre est apud *Sanch. qui eos sequitur Tom. 3. de matrim. lib. 8. disp. 2. n. 10. & Bonac. Tract. de leg. disp. 1. q. 1. punct. 2. n. 4. Bafilus Pont. de matrim. lib. 5. cap. 13. s. 2. n. 7. Joan. Valer. in diff. utriusque fori, verb. Absolutio, diff. 1. n. 2. & verb. Nullitas, diff. 5. & verb. Iurisdictio, diff. 4. Diana Tract. 10. de leg. re sol. 29. Suar. Tom. 4. in 3. part. disp. 28. Castropal. Tract. 3. disp. 5. & noth. Andreas à Matre Dei, Tom. 3.*

Tom. 3. curs. moralis Theolog. Tract. 11. de legibus, cap. 3. punct. 2. num. 30. Unde Archangelus Romanus, cujus auctoritas magni facienda est, eo quod sua scripta Romæ prælo dederit, sub approbatione Magistri Sacri Palatii, & aliorum gravissimorum Doctorum in præambulis ad librum de privilegiis, ubi affirmat, declarationes, & decreta Eminentissimorum Cardinalium non esse majoris auctoritatis, quam decreta Rotæ Romanæ, quæ ad summum faciunt jus in Curia Romana, ad instar styli, non autem legem generalem; ideoque neque publicantur cum solemnitate requisita, neque hoc à Pontificibus permittitur, quod ad obligationem legis, seu statuti legalis requiritur, ut jam dicam: probat hoc præfatus Author ex princ. *Extravag. Ioann. XXII.*

38. 4. Alii verò, adverso Marte, affirmant habere vim legis, & obligare non solum pro isto casu, cui Sacra Congregatio respondet, seu declarat, sed pro omnibus similibus, ita Narb. *de appell. à Vicario ad Episcopum part. I. num. 180.* Miranda in *Manual. Tom. 2. q. 26. art. II.* Rodrig. in *quæst. Tom. 1. q. 11. art. 1. & 2.* inter quos, & alios satis nervosè, Garcia de *benef. tit. 1. in præfat. Barbol. in collect. Bull. verb. Congregatio pro interpretatione Concilij Trident. Zerola in præf. Episc. p. 1. & fundatur hæc sententia; Primum, in tacita voluntate, seu delegatione Pontificum, nam licet Sixtus V. qui quindecim sacras Congregationes instituit, videatur nihil concedere prædictis Congregationibus præter solam facultatem interpretandi dubia circa difficultates occurrentes, & id consulto Papa. Sed quia quotidie à multis annis*

iplæ Congregationes sciente, & consentiente Pontifice, & Romæ præsentè, varias, & novas edunt declarationes, & decisiones, ac decreta, etiam inconsulto Papa (gravioribus dubiis exceptis) præsumitur adesse in eis voluntatem ipsius Papæ, saltem interpretativam, ac per consequens habebunt vim legis, virtute illius. *Secundò*, quia Sacra Rota hujusmodi declarationes, decisiones, & decreta veneratur, & ad instar communis legis eas allegat, nec in dubium revocare solet, ut in diversis decisionibus Rotæ apparet, sentit igitur esse authenticas, & autoritativas.

5. Sequens hanc secundam sententiam noster Lezana in *Sum. verb. Sacra Congregatio, art. 6.* duo dicit: *Primum*, esse certissimam, loquendo de declarationibus, & decretis factis à Sacra Congregatione jussu Pontificis, vel ipso consulto, neque de hoc posse dubitari. *Secundum*, esse probabilissimam absolute, & ipsi adhaerendum cum sequentibus limitationibus, videlicet, quod tales declarationes habeant qualitates in principio hujus sectionis assignatas de authentica forma, & quod sufficienter sint publicata & promulgata. Cum enim ad hoc, ut lex obliget, necessariò desideretur ejus promulgatio, non est credendum sacram Congregationem velle prædicta obligare, nisi præmissa dicta publicatione; & addit, quod ideo præcipitur in decreto relato *Vrbani VIII.* ut non adhibeatur fides, nisi illis, quæ dicto modo sigillata, subscripta, & munita fuerint, quia illæ solum publicantur in Curia, & in locis ordinariis ad id deputatis. Hæc Lezana cum Bonaci-

na de leg. disp. I. quest. I. punct. 8. num. 4. & alij, quibus libenter adhæreo.

40. 6. Nec obstat dictum Rodriguez art. 2. quod in declarationibus legis, seu privilegij non sit opus publicatione, quia declarationes sunt quid accessorium legum, & ipsis ab initio insunt, & ita cum ipsis legibus manent publicatæ. Non inquam hoc obstat, quia licet hæc doctrina sit vera in rebus claris, & manifestis, secus in dubiis, & opinabilibus, in quibus possunt esse diversæ opiniones pro intelligentia legis, & circa hæc versantur hujusmodi declarationes authenticæ, & sic pro illis est necessaria nova publicatio, quia sunt veluti novæ leges; sic relati Authores cum Diana p. I. Tract. 10. resol. 29.

41. 7. Ex quibus manifestè sequitur, quod si dictæ declarationes, & decreta, non fuerint in authentica forma munitæ, & promulgatæ more solito, ut sit in aliis legibus Pontificiis, solum deservient pro illo casu singulari pro quo sunt editæ, non verò generaliter pro omnibus similibus; sic Lezana num. 13. unde quando in lite cum aliquo privilegiato, seu Religione sit à Sacra Congregatione declaratio contra ipsum, etiam si sit authentica, & quasi generalis pro omnibus, vel restringendo privilegia, vel quid simile. Si tamen non fuerit publicata pro omnibus, saltem in locis publicis Romæ, v.g. in Valvis Sancti Petri, & in Campo Floræ, non adstringet alias Religiones, sed illam cujus negotium agebatur; etiam si militet eadem ratio, quia ex defectu publicationis universalis remanet intra terminos legis particularis. Unde ait noster *Urbanus ab Ascensione*, vir admodum eruditus,

Tract. 2. dist. 1. de privileg. Carm. cap. 1. regul. 7. declarationes Eminentissimorum Cardinalium communiter non esse generales pro Religiosis totius orbis, etiam quando confirmantur à Papa, sed tantum speciales; pro quibusdam locis, & Diocæsi-bus, siquidem fuerunt factæ ad consultationem aliquorum Episcoporum particularium pro suis Diocæsi-bus, quemadmodum refert Confectus unam ad Consultationem Eminentissimi Cardinalis Borromæi pro Mediolanensi Episcopatu, & alias similes; & certè id videtur sufficienter colligi, tum ex stylo harum declarationum: tum quia non est verosimile Pontifices velle talia approbando una simplici responsione Cardinalium, nec Bullata, nec promulgata, ut debet, nec Ordinum superioribus intimata, revocare privilegia tam universaliter possessa, & pro tam longo tempore à Mendicantibus. Hæc dictus Author, quæ doctrina notanda est, cum sit valde utilis pro multis casibus occurrentibus, advertendo semper, quod quando non constat de utroque, videlicet de autoritate, & promulgatione publicâ, & universali, non obligant ut leges universales, sed solum ut particulares, pro determinato casu, seu loco pro quo dantur.

42. 8. Sed quid si dubites vel de autoritate, vel de publicatione? Respondetur, quod circa primum, nulla est difficultas; quia quando post factam diligentiam sufficientem, dubitatur an lex sit, vel non sit, judicandum est legem non esse; quia possessio stat pro dubitante. Si verò constet de autoritate, seu validitate, dubiteretur autem vel negativè, vel positivè de promulgatione, dicunt

dicunt Aliqui standum esse pro lege, & sic obligare, ut patet in simili, quando dubitatur, an lex sit usu recepta, vel non; iudicandum esse in favorem legis, cum possessio sit pro illa; sic sentiunt Salas de leg. quest. 96. Tract. 14. disp. 13. sect. 5. numer. 22. & alii relati à Diana. Sed tu tene oppositum cum Diana Tract. de leg. resol. 3. Azot. part. 1. lib. 2. cap. 19. quest. 12. & aliis. Quia cum dubitans de promulgatione sit in possessione suæ libertatis; etiam si lex sit in possessione sui valoris, in re sic odiosa, optimè potest dubitans de promulgatione requisita, eam partem amplecti, quæ negat legem esse publicatam, seu promulgatam, & juxta hanc Doctrinam colligunt præfati Authores, quod cum non pauci dubitent, an Bulla Clementis VIII. de largitione munerum sit usu recepta, non incurrent pœnas in ea impositas contra illam operantes; & idem sentiunt de Extravag. ambitiose Pauli II. contra alienantes bona Ecclesiastica; ergo pari modo philosophari licet in nostro casu, non enim apparet discrimen considerabile.

43. 9. In calce hujus sectionis haud reticere possum Doctrinam Brunonis Challaing, Minoritæ tract. 1. de privileg. propos. 3. ubi loquendo de decretis, seu declarationibus Eminentissimorum Cardinalium confirmatis à Papa, sic ait: Duobus modis potest talis confirmatio fieri, uno modo illa supponendo, tanquam consilium sibi à Cardinalibus præsitum, ut cum in suis Bullis sic loquitur: De Consilio fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium; & postea Pontifex decreta illorum in sua persona pronuntiat dicendo: Volumus, & decernimus, &c. Et decreta, seu declarationes confirmatæ

sub hac forma, non est dubium, cuod sint leges obligantes, siquidem suas facit ipse Pontifex.

10. Altero modo, cum Pontifex illa decreta supponit, & exprimit in suis Bullis; ut à dictis Cardinalibus edita, illaque confirmat, & in hoc casu confirmatio Papæ novum jus rei, quæ confirmatur, nullatenus confert. Quapropter illa, quæ sic confirmata reperiuntur, non sunt leges, sed manent in statu, in quo ante confirmationem reperiabantur; Hoc probat ex cap. cum dilectæ, de confirm. utili, vel inutili, ubi Innocent. III. declarat, quod per confirmationem Sedis Apostolicæ aliquod novum jus non acquiritur, sed antiquum, quod est, conservatur; idem confirmat ex Cap. Examinata, eod. tit. ubi idem Innocent. III. quandam sententiam contra juris ordinem latam, & à suo prædecessore confirmatam, nullam, & irritam declarat, his verbis: Vnde non obstante confirmatione Papæ prædecessoris nostri, qui illud confirmaverat, sicut proinde latum fuerat, decernimus ipsum irritum, & inane; ex quibus verbis glossa concludit: Et ita patet, quod confirmatio, nihil, vel modicum operatur, quia si aliquid invenit confirmat illud, alia nihil operatur. Quod in odiosis maximè tenet, & quando de præjudicio tertij agitur, hæc ille.

11. Si autem objicias Pontificem confirmando dicta decreta, regulariter apponere clausulam: Inviolabili Apostolica firmitatis robur, & se velle decreta ab omnibus observari: Respondet præfatus Author, has clausulas adjici non ut decreta (quæ simpliciter solum doctrinalia sunt) leges, aut canones fiant; sed ut in statu doctrinali remanentia, majori
cum

cum reverentia, ex majori approbatione recipiantur, & observentur, veluti approbationes, & confirmationes Doctrinæ sanctorum Augustini, Thomæ, Bonaventuræ à pluribus Pontificibus factæ, quæ non dederunt tali doctrinæ vim legis, sed eam approbando, & confirmando magis acceptabilem Ecclesiæ Dei reddiderunt: Hæc ille, quæ si intelligantur de confirmatione in forma communi, verissima censeo; secus si de confirmatione in forma speciali. Illa enim nihil aliud est, quàm quædam approbatio: Ista verò facit proprium confirmantis id quod confirmat, & dat vim legis, ut docent Doctores. Quare pro praxi attendendus est modus con-

firmantis juxta regulas à Doctoribus traditas, à quibus hic abstineo, quia propriam sedem habent.

12. Concludit prædictus Author, & 46. benè, dicendo, quod licet declarationes, seu decreta Eminentissimorum Cardinalium sint authentica juxta regulas traditas, & sint etiam sufficienter promulgata, si non habeant clausulam derogatoriam privilegiorum (quam ferè nunquam solent habere) non nocent privilegiatis, etiam si à Papa quomolibet sint confirmata, alioquin majoris essent roboris, quàm ipsæ Bullæ Pontificiæ: siquidem istæ illam requirunt ad privilegia revocanda; sed de hoc latius redibit sermo, *sect. de revocat. privileg.*

DISPUTATIO SECUNDA.

De Communicatione Privilegiorum inter Regulares.

SECTIO I.

De diversitate Religionum communicantium in Privilegijs.

47. 1. **I**nter Religiones approbatas à Sede Apostolica, aliæ dicuntur *Mendicantes*, aliæ *non Mendicantes*. *Mendicantes* dicuntur illæ, quæ vel ex propria Regula, vel ex propriis Constitutionibus nequeunt possidere bona stabilia, seu immobilia etiam in communi; puta, prædia, possessiones, annuos redditus, sed ex elemosynis sibi datis à Fidelibus vivunt; Concilium vero Tridentinum *sess. 25. cap. 4.* pro omnibus Religionibus dispensavit in hoc (exceptis Cappucinis, & Minoribus de observantia) non ta-

men per hanc dispensationem tollitur, quin sint, & dicantur *Mendicantes*, si ex Regula, vel ex Constitutionibus illam paupertatem retineant, ut benè advertit noster Lezana *cap. 1. num. 1.* & expressè declaravit Pius V. die 3. Octobris anno 1567. in proprio motu incipiente: *Romanus Pontifex*, apud Rodriguez Bulla 19. seu 22. apud Cherubinum Bulla 44. apud Peyrinum Bulla 4. in Confess. post Bullam *Clementis VIII.* Hujusmodi Religiones Mendicantes intendunt, & propriæ, & proximorum salutis, medio exemplo, doctrina, & aliis pietatis officiis.

Inter has autem primum locum tenent quatuor antiquiores; videlicet, *Dominicana, Franciscana, Augustiniana,* & no-